DISPUTATIO MEDICA 27

INAUGURALIS,

DE

AMAUROSI.

AUCTORE ALEXANDRO FYFFE.

DEFINITIO MORBI.

AMAUROSIS, vel gutta serena, est morbus oculi qui ex affectu paralytico retinae, et nervi optici oritur, quem visus minutus vel ex toto sublatus, sine ulla laesione apparente, comitatur. Pupilla plerumque dilatata et immobilis est; in exemplis quibusdam tamen, iridi maxima vis superest; in



aliis, quamvis nihil ad visum restituendum pollet, iris mobilitatem suam inter curandum recuperat.

Pupilla oculi amaurosi correpta, RICHTERO testante, nigritiem pellucidam in sanitate visam, raro exhibet. Frequentissime colore nigro hebete, vitreo, cornu referente praedita est. In quibusdam pupilla colorem subviridem; in aliis album, et nebulosum induit; et si hoc fit, pro cataracta incipiente, attentione sedula ad signa priora pariter ac praesentia non adhibita, vitium habeatur. Aliquid strabismi amaurosi semper adesse, auctor supra dictus quoque affirmat.

Hic morbus symptomatibus prorsus diversis, in aliis hominibus incipit; in quibusdam visus statim, dum in alteris adeo pedetentim serpit, ut menses, imo anni priusquam ad summum pervenerit, elapsi sint.

Signa quae hunc morbum incipientem et gradatim augescentem comitantur, sunt ple-

rumque visus debilis, sensus quasi membrana filosa vel aranea obducta sit oculis, et aeger videtur percipere superficiem albidam, maculis nigris perforatam, quam tollere conatur. Pupilla oculi paulatim augescit, splendorque naturalis ei perit; et oculo aegri clauso, si frictio palpebrae superiori admoveatur et haec in loco splendido subito aperiatur, pupilla vix et ne vix quidem sese contrahet. Visus magis magisque debilis fit; vitra ocularia omnis generis dicuntur nihil juvare, aeger visum ejus plus impediri sole fulgente quam in tenebris, queritur. In exemplis morbi paulatim augescentis, dolor capitis cui adest sensus plenitudinis et tensionis in globo oculi, plerumque antecedit.

Richterus de gutta serena disserens, plurima exempla morbi insignia et summi momenti, memorat, quae varia symptomata hunc morbum praegredientia et comitantia, optime illustrant. De homine caeco facto meridie, et qui in hac conditione perstitit usque ad diei sequentis eandem horam, lo-

quitur; quo tempore visus subito rediit, et per viginti quatuor horas proximas viguit. Sed siquando cinchonam sumpsit, caecitas per quadraginta octo horas protracta est, et sensum visus tantum per viginti quatuor recuperavit. Inter paroxysmum palpebra superior paralysi affici solita est, sed illo remittente, vis motus statim rediit.

Exemplum sequens morbi non mihi contigit, nisi annis nonnullis post impetum, videre; tamen historiam satis accuratam ejus accepi.

Mulier annos sexaginta novem nata, cui medicinam adhibere solitus sum propter impetum hemiplegiae lateris dextri, circiter octo annis abhinc dolore vehemente capitis correpta est, cujus venaesectione repetita, epispasticis, et catharticis, levamen percepit. Morbus non nisi post duos annos elapsos rediit; quo tempore, de dolore summo totius capitis, et cui adfuit inflammatio vehemens oculi sinistri, aegra questa est. Ad

remedia antea exhibita iterum confugitum est; oculus bis scarificatus est sine inflammatione levata; tamen operationem repetere iterum placuit, et viro ad hoc opus perficiendum constituto operante, mulier subito prosiliens, se visum ejus prorsus amisisse, affirmavit. Omnia remedia solita ad restituendam vim visus, frustra admota sunt. Oculo color ejus naturalis adhuc superest; iris parum vel nihil sensibilitatis, luce admissa, vel lucerna accensa proxime adversus pupillam posita, exhibet; sed lucerna super nasum oblique sita, contractio subita et magna fit; tamen radios lucis sibi non perceptos esse, asserit. Effusio est lachrymarum continua et copiosa; sed aliquid strabissmi minime percipere possum.

Priusquam ad causas pergam, pauca de varietatibus hujus morbi dicere, mihi videtur.

Pupilla oculi amaurosi affecti plerumque dilatata et immobilis esse perhibetur; quae-

dam exempla tamen, ex quibus exceptiones extitisse patebit, evenerunt ; iridem in quibusdam casibus insignibus adeo usque se contrahere, ut pupillam fere claudat, RICHTERUS dicit. In muliere quidem de qua supra dixi, iris, luce in situ quem memoravi posita, magnopere se contrahit. Plurima alia exempla, a quibusdam expertissimis chirurgiae prolata, hoc clare demonstrant.

Morbum fere semper utrosque oculos simul afficere, quoque perhibetur ; sed etiam si alius oculus tantum morbo corripitur, alteri raro est sanitas diuturna ; quod non fit mulieri de qua antea dixi, quia unus oculus vi solita visus et aspectu naturali, adhuc gaudet, quamvis alter haud brevi tempore male se habuit.

CAUSAE.

Causae amaurosis sunt plurimae, tamen in tanta caligine latent, ut has penitus intelligere vix et ne vix quidem penes nos sit; nihilominus tamen evidentissimas pro virili colligam.

Læsiones capitis ortum depressioni cujusdam partis cranii praebentes, vel congestio intus vel super cerebrum, inter causas maxime conspicuas, mihi videntur eminere; Richterus quidem de homine ab effectibus ictus vehementis in aurem accepti, statim caeco facto, loquitur. Eidem auctori concussionem capitis defectum vis musculosae in vasis sanguineis posse efficere, qui dilatationem horum inducat, et qui pressuram in partibus vicinis certissime inferet, verisimile videtur.

Conditio plethorica aegri hunc morbum gignere dicitur ; et, hanc mulieri supra dictae accidisse, mihi persuadetur.

Inflammatio vehemens oculos corripiens, nonnullis peritissimis testantibus, amaurosin proclivis est inducere. Dominus Hey de Leeds exemplum amaurosis temporariae memorat, quam ortum habuisse ex inflammationis impetu, credit. Æger operationem ob cataractam institutam saepius subierat, et vim visus maxima ex parte in oculo dextro recuperaverat, sed ab effectibus frigoris inflammatio orta est, quae visum paulatim sustulit.

Tumores in substantia cerebri, cadaveribus sectis quorundam qui gutta serena laborarunt, detecti sunt ; aqua collecta, premendo nervos opticos ad junctionem suam, huic morbo quoque ortum praebuit ; cariem ossis frontis quae læsioni fuit foraminibus opticis, et pravam structuram nervorum opticorum,

Bonetus pro causis memorat, et quas Dominus Jacobus Ware citat.

Hic de gutta serena loquens, conjecturam cui magna verisimilitudo inest, in medium protulit; dicit morbum induci posse dilatatione partis anterioris circuli arterialis, qui sellam turcicam circumdat, et qui nervis opticis vicinus est. Dilatatione facta in parte posteriore hujus circuli, adeo ut comprimat nervos motores oculorum, cum quibus connectitur, affectus paralyticus palpebrarum, et revera totius oculi, illo testante, suboriatur. Cum paralysis totius oculi, vel palpebrarum huic morbo adest, hunc plerumque dilatationem portionis anterioris et posterioris hujus circuli, pro causa sua agnoscere, putat. Hic auctor celeberrimus de alio vase sanguineo, distentio cujus visum potest afficere, quoque mentionem facit; hic est centralis retinae. Aliae causae effectum suum, inferendo generalem debilitatem vel totius corporis, vel oculi ipsius inducere, putantur; hae sunt diarrhoea vehemens et

diuturna, ingens fluxus salivae, gravis cholera morbus, vel sanguinis profluvium immodicum ; quae morbum, secundum RICHTERUM, debilitando totum systema, induxerunt. Venerem immaturam et immodicam, ob vires ejus debilitantes, eodem modo coecitatem quoque posse inducere, habet persuasum. Causae nonnullae juxta locum quoque agunt, ut intuitus diuturnus rerum minutarum, et corporum lucentium.

Quaedam aliae causae quae in visceribus abdominis situm habere, et frequentiores aliis jam memoratis esse perhibentur, adhuc considerari restant. Per has irritationes, pathemata mentis vehementia intelligo, quae fellis secretionem et functiones digestionis generatim, magnopere afficere dicuntur. Vermes in canali intestinorum collectos (qui sine dubio plurimum irritationis praebebunt) causam guttae serenae aliquando existere, adfertur. Irritationes locales, ut vulnera nervi supra orbitarii, ictus ad globum oculi proxime illati,

et substantiae extraneae in vel circum hunc, morbum de quo agitur, gignere repertae sunt.

De longe pluribus causis maxime evidentibus quae hunc morbum excitant, ni fallor, jam locutus sum; tamen si aliae quas praetermiserim, sese mihi postea offerant, de his simul cum ratione medendi disseram.

PROGNOSIS.

De hoc morbo prognosin instituere, difficillimum esse mihi videtur; et revera, in quibusdam exemplis, ob causam vel causas latentes, nisi post partes cadaveris perscrutatas, hoc non fieri potest. In illis exemplis morbi, quae Bonetus orta fuisse dicit compressione inducta parte morbosa ossis frontis vel cerebri, eventum praedicere non penes fuisse illum, si nulla alia signa praeter guttam serenam compressionem intra caput monstrassent, mihi constat.

Laesiones ad globum oculi proxime illatas, contusionem vel lacerationem nervi supra orbitarii, et concussiones vehementes capitis, causas existere quae hunc morbum immedicabilem reddent, Scarpa habet se persuasum. Exemplum naupegi qui ictum gravem in oculum dextrum accepit, et eidem visum

prorsus abstulit, a Domino Jacobo Ware memoratur. Post hoc inflammatio haud parva ingruit, cui vitium ejusmodi alius oculi accessit. Oculus sinister levamen inflammationis, sine aliquo effectu infausto, ut visum est, relicto, subiit; sed haec in oculo dextro adhuc mansit, et cui dolor gravissimus per plurimas hebdomadas adfuit; hoc tempore elapso inflammatio lenior fiebat, caligine oculo penitus obducta. Visus perfectissimus oculo sinistro, per fere tres annos post injuriam acceptam, fuit. Visu hebete tunc correptus est paulatim ingravescente, et post menses duodecim praeteritos, aeger diem a nocte vix distinguere potuit. In hac conditione per menses octodecim priusquam arcessiit virum supra dictum, perstitit, cui ex historia mali tradita eodemque perscrutato, vitium oculi dextri insanabile fuisse, visum fuit; et revera an aliquid auxilii sinistro potuit admoveri, haerebat. Tamen ex pulveris mercurialis usu repetito, aegrum tantum valentem exercere istum oculum, adeo ut in arte sua solita versaretur.

Dominus Hey vulnera nervi supra orbitarii, hunc morbum non semper immedicabilem reddere, ab experientia sua testatur.

Morbum plerumque insanabilem esse, proditum est; cum amaurosis per aliquot annos perstiterit in illis satis provectis aetate, quibus visus debilis fuit a juventute; cum paulatim accesserit cum irritabilitate morbida retinae, et cum sensu hujus partis gradatim minuto, donec caligo perfectissima ingruerit; cum pupilla non multum dilatatur, sed immobilis cum aspectu circulari inaequali; cum tantum dilatatur ut iridem deesse videretur; et cum ima pars oculi exhibet pallorem coloris cornei. Cum morbus ortus est venere immatura et frequente, vel inebrietate immodica, cui accedunt dolor totius capitis, et tensio globi oculi; et quoque cum originem habet ex ophthalmia continuata et interna; lue venerea; vel exostosi circa orbitam; immedicabilis esse dicitur.

Cum morbus ex causis sequentibus indu-

citur, prognosis plerumque fausta esse fertur, nimirum, ira vehemente, ventriculo pleno et turbato, tristitia, metu, plethora generali, emansione mensium, ingente jactura sanguinis, debilitate nervosa, convulsionibus; et quoque si malum subito accedit, si non causis vim habentibus structuram organicam oculi corrumpendi, inductus est.

DIAGNOSIS.

De signis diagnosticis hujus morbi, quippe qui vix cum aliis potest confundi, fere supervacuum est aliquid dicere. Cataracta sola mihi digna notatu, et signa habere satis manifesta ut eam distinguamus, multis scriptoribus praeclaris testantibus, videtur. In nonnullis exemplis amaurosis, pupilla alba et nebulosa conspicitur; tamen nebula non proxime pone pupillam in situ lentis crystallinæ, sed posterius posita est. Dominus Hey de Leeds in observationibus ejus de cataracta, summa cura aliquando opus esse diagnosin accuratam inter morbos constituere dicit. Verbis sequentibus utitur.

"There is, however, one state of the eye, which may lead an experienced practitioner into doubt, or may even cause him,

without the greatest circumspection, to form a wrong judgment. In some persons, that part of the eye which is seen through the pupil, does not appear black as usual, but has a grey appearance, or is of a dark colour. This is so like the appearance of an incipient cataract, that, if the sight of the person is diminished, a surgeon may be induced to form a wrong prognostic. The appearance which I have described occurs in some species of amaurosis, to which persons advanced in age are particularly subject. It occurs also in some middle-aged persons, whose sight is defective. In examining attentively the eyes of such persons, one may observe that the part which puts on a greyish cast is situated at a greater distance behind the pupil than an incipient cataract, and that it has a more polished or shining appearance."

Amaurosis quoque pro specie cataractae saepissime dictae nigrae, habeatur. Dominus Jacobus Ware de hoc morbo disse-

rens, dignoscere inter cataractam nigram et guttam serenam, quia aspectus oculi in duobus malis fere idem est, difficillimum esse testatur ; diagnosin nihilominus tamen sedulo observante, quia crystallinae morbosae aspectus peculiaris est, dissimilis illi in imo oculo, institui posse affirmat.

Duo vitia existunt, quibus nomina sunt Hemeralopia, et Nyctalopia, utraque quarum pro amaurosi periodica intermittente tantum existimatur ; inter haec et morbum de quo agitur, quia eadem ratio medendi omnibus saepissime convenire reperta est, discernere non opus est.

RATIO MEDENDI.

In primo loco, investigare causam morbi tollendi idoneum esse, fere est supervacuum dicere; in nonnullis exemplis tamen, propter situm abditum vel naturam insanabilem morbi, hoc non fieri potest. In aliis, quamvis causa sublata fuerit, morbus perstabit; rebus sic se habentibus, medicamenta tonica et stimulantia, consilio roborandi illam partem generis nervosi quam morbus minuerit, praecepta fuerunt. Quum malum pro causa sua concussionem agnoscit, haec genera medicamentorum, et externe et interne exhibita maxime prodesse, mihi persuadetur. Dominus Hey de Leeds in observationibus et indagationibus medicis, exemplum amaurosis perfectae quæ ab ictu orta fuisse videtur, qui induxit vulnus in integumentis frontis, inseruit. Curatio

cujus scintilla electrica iterum atque iterum admota, et bolo constanti ex camphora et sub-muriate Hydrargyri in parva copia, perfecta fuit. Sanguinis missio, epispastica, et quaedam medicamenta nervosa, sine aliquo levamine praebito, antea in usum venerant.

Si hic morbus ex vasis sanguineis sitis intra cerebum dilatatis, quod RICHTERO videtur, concussione potest induci, originem habet; illam rationem medendi quae quantitatem sanguinis minuere, impetumque ejus ad caput prohibere pollet, prorsus necesse erit instituere. Sanguinis missio et generalis et specialis hoc consilium maxime implebit; medicamenta purgantia, epispastica, et refrigerantia capiti admota, quoque utilia sunt. Quum morbus ex conditione plethorica aegri, vel ophthalmia vehemente oritur, haec ratio medendi omnino est necessaria.

Si morbus mensibus suppressis ortum ha-

bet, illum fluxum revocare opus erit ; lavatio regionis uteri et lumborum aqua calida, exercitatio, clysmata emollentia, purgantia, et scintilla electrica, ad hunc restituendum valuerunt. Illa medicamenta, quibus nomen est emmenagoga, CULLENO testante, parum prosunt. Si hic modus medendi fluxum solitum restituere impar sit, ad emetica, hirudines ad labia pudendi applicatas, et pilulas resolventis SCHMUCKERI, confugere oportet. Si morbus quoque ex ulla alia exinanitione solita suppressa, ut profluvio ex haemorroidibus oritur auxilia supra dicta utilia sunt.

Remedia exhibenda, cum morbus de quo agitur, debilitate totius systematis inducitur, sunt ; evitatio sedula omnium istarum causarum quae hanc debilitatem gignant, laxantia, stimulantia admota oculo, et lenis exercitatio. Si debilitas oculo soli inest, aqua frigida saepe applicata multum prodesse, reperta est.

Ad illam speciem guttae serenae nunc perventum est quae irritationes pro causa sua agnoscere fertur, et quae in visceribus abdominis latere habentur; vel quae genus gastricum primario afficiunt, et ob consensum hoc inter et oculos intercedentem, morbum inducunt.

Pathemata mentis vehementia, impetum amaurosis, gignendo, ut opinio est, conditionem turbatam fellis secretionis, intulerunt; et hac facta, malum emeticis et medicamentis resolventibus statim sumptis, cessit. Ut emetica in dosibus parvis repetitis sumantur, saepissime praeceptum est; vires antimonii tartarizati summis laudibus efferuntur; granis tribus in sex unciis aquae solutis, cochleare quaque semihora, donec nausea et vomitio copiosa excitantur, summendum est. Pilulae resolventes per aliquot dies, tunc exhibendae sunt; post quas sumptas, cinchona et valeriana ad curationem perficiendam, pollere inventae sunt. Vapor aquae ammoniae purae ad oculum

proxime et repetito admotus, excitando actionem nervorum, quoque multum profuit. Alia stimulantia externa, ad partes corporis inter quas et oculos consensus existit admota, ut sternutamenta, epispastica ad nucham colli applicata, et scintilla electrica, in usum veniant.

Ad tractationem supra dictam, si morbus quodammodo ex ventriculo vel primis viis turbatis oritur, confugere oportet.

Si morbus ex paraxysmo violente irae, in aegro plethorico inducitur, simul cum aliis remediis, sanguinis missione cum generali tum speciali, opus esse dicitur.

A Domino Jacobo Ware de gutta serena tractante electricitas, praesertim cum malo adest pupilla dilatata, maxime laudatur. Hanc quoque, pupilla contracta utilem fuisse affirmat.

Sublimatum corrosivum interne sumptum,

etiam magni pendere videtur, quod sumendum esse dose quartae partis grani, in semiuncia vini adusti solutum, praescribit, et potum in sagine vel aqua hordea, continuandum ut dicit, quam minimis intervallis, per mensem vel sex hebdomadas.

Auctor supra dictus se multum levamen acceptum ex usu pulveris, constantis ex granis decem sub-sulphatis hydrargyri flavi, misti cum drachma pulveris sternutatorii, in nares parva copia inhalati, percepisse dicit. Exempla quatuor quae vim hujus medicamenti optime probant, de uno quorum antea dixi, memorat.

Dominus Hey de Leeds est alius auctor clarus, qui electricitatem maxime laudat; de exemplis morbi ab hac magnopere levati, quoque loquitur.

FINIS.